



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.5. Inter multa pœnitentia motiua cur potiſimum diuina bonitas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

V.
 INTER
 MVLTA
 POENI-
 TENTIAE
 MOTIVA
 CVR PO-
 TISSIMUM
 DIVINA
 BONITAS?

clementiam & bonitatem experiendam.
 Multa huc vsq; disserui de caussis, ob
 quas ad poenitentiam confugere debeamus.
 Mouere nos debent publicæ necessitates,
 more Italorum. Mouere debent propria
 delicta, quæ, nisi nos lachrymis diluamus,
 vindictam diuinam exposcunt. Mouere
 seuera Numinis atque immensa iustitia,
 quæ pro leui & breui voluptate æterna tor-
 menta minatur, & infert. Mouere ipsa
 peccati turpitude, quæ summam Deo, na-
 turæ, nobis iniuriam impingit. Restat ta-
 men, meo quidem iudicio, his omnibus
 causa adhuc maior, & apud omnes bonas
 mentes potentior, immò & apud ipsos im-
 pios efficacissima; nempe infinita Dei boni-
 tas, clementia, & misericordia; quæ ex hoc
 Petri exemplo elucet. Cur tam multi ille-
 cebris Mundi, velut visco inhærent? cur
 tot consuetudini suæ velut catena alligan-
 tur? cur confiteri vel nolunt, vel sietè au-
 dent? cur ad opera poenitentiaë manum non
 applicant? Quia nimirum cum hoc Petro
 diuite desperant, tam de sua salute, quàm
 de Dei bonitate. Quoniam autem sciunt,
 se cæli gaudia profigasse, saltem volunt,
 dum hic viuunt, qualescumque demum ve-
 nari

nari voluptates. Hæc vltima & maxima est catena peccantium, quæ impedit, vt ne effugia quærant, aut remedia euadendi. *Is verè dignus est desperatione, qui de seipso desperat*, ait S. Chryostomus, *ille non iam salutem, neque spem habet. Non in malorum venisse profundum, est graue, dilectissimi: sed postquam veneris, ibi jacere. Non in profunda cecidisse malorum, est impij, sed postquam ceciderit contemnere: propterea debet semper esse sollicitus. Dic mihi. Propterea contemnis, quòd vulnera tot habeas incurabilia? Sed nulum est anima vulnus incurabile. In corpore quidem multa sunt talia, in anima verò nulum: & pro illis quidem laborare non desinimus, pro his verò torpemus. Nonne vides latronem, quàm breui tempore curatus est? Quàm citò è Saulo factus S. Paulus, ex Mattheo & Zaccharo Publicanis discipuli Christi? ex Magdalena peccatrice pœnitens, ex hodierno Petro desperatissimo etiam miraculis coruscans? Possent quàm plurima exempla huius diuinæ bonitatis adduci, mihi hodie illud sufficiet, quod ad omnes pertinet, mysterium Incarnationis.*

Ex fide nouimus, Deum antè quàm mundus conderetur, ab æterno, ex sui ipsius vi-

S. Chryl
hom. 406

VI.
BONITAS
DIYINA 131

I a

HOBE